UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Universitätsbibliothek Paderborn**

# Scopvs Biblicvs Veteris Et Novi Testamenti

**Novicampianus, Albertus**

**Antverpiae, 1566**

VIII. Iustificatio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30443**

Visual Library

Paulus in multis locis vt ad Titum: *Apparuit* (inquit) *gratia Dei ſaluatoris noſtri, erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & ſecularia deſideria, ſobriè & iuſtè & piè viuamus in hoc ſeculo, expectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei, & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti, qui dedit ſemetipſum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum.* Et alibi: *Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, vt obediatis concupiſcētijs eius. Sed neq; exhibeatis arma iniquitatis peccato, ſed exhibete vos Deo, tanquam ex mortuis viuentes, et membra veſtra arma iuſtitiæ Deo.*

*Roma. 6.*

248. 31.

## *IVSTIFIcatio.*

### *Vt quod iuſtitia illa prima amiſſa, &c.*

DOcetur poſt amiſſam originalem iuſtitiam, non habituros vitam æternam, niſi iuſtificatos. Cæterũ quæ ſit originalis iuſtitia, dictum eſt, vbi egimus de peccato originali. Quæ autem ſint cauſæ iuſtificationis, oſtenditur ex tertio capit. Pauli epiſtolę ad Romanos. Prima quidem cauſa eſt miſe-

*Poſt amiſſam originalē iuſtitiā qui regnũ cælorum habituri ſunt.*

*Cauſæ iuſtificationis.*

*de quibus* ricordia Dei, *qui*, (vt ait Ioannes) *prim*
*plura infe-* *dilexit nos, & miſit filium ſuum propitia-*
*rius.* *tionem pro peccatis noſtris*. Qui quidem
1 Chriſtus, dicēte Paulo, cùm adhuc in-
*1.Ioan.4.* firmi eſſemus, ſecundum tempus pro
*Roma.5.* impijs mortuus eſt. Atque ita (vt Pau-
lus ait) *iuſtificati gratis*, non ſcilicet pro-
pter cuiuſquam bona opera. *Fuimus e-*
*Eſa.64.* *nim immūdi omnes* (vt Eſaias loquitur)
*& iuſtitiæ noſtræ vniuerſæ quaſi pannus*
*menſtruatæ*, vtpote non lotæ ſanguine
*1.Cor.1.* Chriſti Ieſu. *Qui*, referēte Paulo, *factus*
*eſt nobis ſapientia, & iuſtitia, & ſancti-*
*ficatio & redemptio*. Secunda cauſa iu-
*Secunda* ſtificationis efficiens, quæ obſequens
*cauſa.* dicitur à Paulo poſita, paſsio Chriſti
*Apocal.1.* Ieſu. Qui (vt Ioannes ait) *dilexit eos &*
*lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo,*
*& fecit nos regnum & ſacerdotes Deo &*
*Proſcata-* *patri ſuo*. Non quòd omnes ſacerdo-
*lipſis.* tum poteſtate ſint præditi, vt ſacramen-
ta conficere poſſent, quemadmodū ve-
ri ſacerdotes: ſed quia ſacrificium lau-
dis quotidie Deo Chriſtianos oportet
offerre, & iuxta Pauli ſententiam, cor-
pora ſua hoſtiam viuam, ſanctam, Deo
*Roma.12.* placentem. Tertia cauſa eſt inſtrumen-
*Tertia* talis, qua quaſi inſtrumento quodam
*cauſa.* applicamus nobis Chriſti paſsionem
per quam cùm inimici eſſemus recon-
ciliati ſumus Deo, vt Paulus docet. C

terum vt planius hæc pernoſcantur, di *Roma.5.*
cendum eſt quid ſit iuſtificatio. Iuſtifi- *Iuſtificatio*
catio deducitur à verbo iuſtifico, quod *nis Etymo.*
componitur ex nomine iuſtus, & facio,
vnde iuſtificare ſignificat iuſtum face-
re, ſicut ſanctificare, ſanctum facere. Et
iuſtificari paſsiuè, id eſt, iuſtum fieri, ſi-
cut ſanctificari, ſanctum fieri. Itaq; iu-
ſtificatio nihil aliud eſt quàm iuſti effe
ctio. Porro iuſtifico & iuſtificor tres *Iuſtifico &*
ſignificationes habere in literis ſacris *iuſtificor*
inueniũtur, quas & iuſtificationem ha *quot modis*
bere oportet. Primò iuſtificare idem eſt *accipiuntur*
quod aliquem iuſtum oſtendere, & in- *in literis*
noxium pronunciare, in qua ſignifica- *ſacris.*
tione frequẽter accipitur à iuriſconſul- 1
tis. Eius ſignificationis eſt exemplum
apud Eſaiam: *Væ qui iuſtificatis impium* *Eſaiæ.8.*
*pro muneribus*, hoc eſt, iuſtum pro-
nunciatis, & à criminibus abſoluitis.
Et apud Iob: *Si iuſtificare me voluero*- *Iob.9.*
*ro, os meum condemnabit me*. Et a-
pud Matthæum inquit Seruator: *Ex*
*verbis tuis iuſtficaberis, & ex verbis*
*tuis condemnaberis*. Vbi ſignificatur
vnumquemque iuxta verba ſua pro-
nunciandum, vel iuſtum vel reum.
Secundo, iuſtificare accipitur, pro
eo quod eſt verè, & re ipſa facere iu- 2
ſtum, ſicut rectificare, pro eo quod
eſt rectum facere. Iuxta quam ſignifi-

cationem Deus dicitur iuſtificare pec-
catores, quod illos iuſtos faciat. Et pec
catores dicuntur iuſtificari cùm iuſti
fiunt. In hac ſignificatione vt plurimū
vtuntur doctores verbo iuſtificandi,
cùm agunt de iuſtificatione. Et eo mo-
do vtitur Paul. hoc verbo, cùm de Deo
dicit: *Quos prædeſtinauit, hos & vocauit:*
Roma. 8. *& quos vocauit, hos et iuſtificauit.* Et pau
lò poſt. *Quis accuſabit aduerſus electos*
1. Cor. 6. *Dei? Deus qui iuſtificat.* Et cùm dixit Co-
rinthijs, eos eſſe iuſtificatos in nomine
Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in ſpiri
tu Dei noſtri, profectò tantundem di-
cere voluit, ac ſi dixiſſet eos effectos eſ-
ſe iuſtos, & per Chriſtum, & per ſpiri-
tum ſanctum. Tertiò modo accipitur iu
3 ſtificari in ſacris literis, pro proficere
ſeu creſcere in iuſtitia, & ſic Ioannes
Apoca. 22. accipit in Apocalypſi: *Qui iuſtus eſt, iu-*
*ſtificetur adhuc, & qui ſanctus eſt, ſanctifi-*
*cetur adhuc.* Quid aliud eſt, iuſtificetur
adhuc, quàm fiat iuſtior, fiat ſanctior,
etiam poſtquam iuſtificatus eſt, det o-
peram vt promoueat in ſanctitate &
Eccle. 18. iuſtitia? Et alibi ſcriptum eſt: *Ne verea-*
*ris vſque ad mortem iuſtificari,* id eſt, iu-
ſtis operibus ſtudere. Definitio ergo
255. 27. iuſtificationis cōplectens has tres ex-
ceptiones verbi iuſtifico, talis eſſe po-
teſt: Iuſtificatio eſt actio qua Deus ve
ali

*Vniuerſalis deſcriptio iuſtificationis.*

aliquis alius pronunciat aliquem ſeu facit iuſtum,vel iuſtiorem. Paſsiuè verò: Iuſtificatio eſt paſsio, qua aliquis pronunciatur,aut fit iuſtus, vel melior. Iuxta autem has poſteriores acceptiones verbi iuſtifico, Theologi ponunt duplicem iuſtificationem. Prima,qua ex impio fit iuſtus, quod fit in momento,abſque vllis operũ meritis,imo abſque vllo noſtro pręcedẽte opere. Quòd verò dicitur, præcedente, ſanè intelligendum eſt. Nam vnà cum huiuſmodi iuſtificatione, motus neceſſe eſt accedat liberi arbitrij in Ieſum credentis, & veteris vitæ pœnitentis, in eũ quidem motum diuinitus attracti atque pulſati. De hac iuſtificatione,intelligendus eſt Paulus, quoties hominem ſine operibus, & iuſtificari aſſerit & ſaluari: quam nulla noſtra opera mereri, nemo neque veterum, neque recentiorum Theologorum negauit. Et de hac loquitur ad Romanos Apoſtolus, oſtendens nulla opera ſiue naturæ, ſiue legis, iuſtificationem impij meruiſſe, adeoque & Gentiles & Iudæos, quantum ad eam rẽ attinet,pares eſſe, illoſque de lege,iſtos de naturalibus fruſtra gloriari. Eſt ergo iuſtificatio quædã & ſalus inchoata, quum ab infidelitate & peccato ad gratiã reſurgit homo,quam

*Iuſtificatio duplex.*

*238.4.*

*Pauli ſentẽtia de iuſtificatione 228.28.*

*Locus Epiſtolæ ad Romanos.*

nullis operibus ſuis meretur, ſed non ſine tamen bono opere ac motu voluntatis, qui illi gratis à Deo infunditur.

*Altera iuſtificatio.* Altera iuſtificatio, qua iam accepta fide in iuſtitia proficimus, & eam per fidem gratis iuſtificati, rurſum iuſtificamur, id eſt, amplius iuſti efficimur, vt in tertia acceptione verbi iuſtifico dictum

229. eſt. Ad hanc iuſtificationem exiguntur opera, per quæ ſecundo modo iuſtificamur,

*Opera.* camur, non ex dignitate operum noſtrorum in ſe, ſed ex illis cũ fide & Dei

*Perlegendæ ſunt hæ tres paginæ ad pleniorem intellectũ.* gratia coniunctis, per quæ ex Dei benignitate, ita nobiſcum paciſcẽtis, etiam & ſalutem mereri dicimur. Vnde plenæ ſunt literæ ſacræ, bene operantibus pro mercede, ſalutẽ reddi ac vitá æternam. Vt inter cætera apud Matthæũ loquitur

*Matth.5.* tur Chriſtus: *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.*

*Matth.10.* Item: *Qui reliquerit domum, vel fratres, vel ſorores, aut patrem, aut matrẽ propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam poßidebit.* Iſtuc ipſum planius indicant verba, quæ dicturus eſt Chriſtus in ex-

*Matth.25.* tremo iudicio, vt Matthæus refert: *Venite benedicti patris mei, poßidete paratum vobis regnũ à conſtitutione mundi: Eſuriui enim & dediſtis mihi mãducare: Sitiui et dediſtis mihi bibere: Hoſpes erã, & co-*

*giſtis me. Nud⁹, et operuiſtis me. Infirmus, & viſitaſtis me. In carcere eram, & veniſtis ad me, &c.* Quin & meriti vocabulum ꝙ quidam mirũ in modum auerſantur, pręterquam ꝙ ſummis viris placuit, Hieronymo, Augu. Ambro. etiã in ſacris literis inuenitur, nimirum Elcceſia. 16. *Miſericordia faciet vnicuiq; locum, ſecũdum meritum operum ſuorum.* Quem quidem librũ Egeſippus & Irenæus, vicini Apoſtolicorum temporũ, vt propheticũ citant, teſtantibus Euſebio & Auguſtino. Sed à cõcilio Florẽtino, & à concilio tertio Carthaginenſi approbatur. In ſexta ſynodo generali, liber hic ſuſcipitur inter canonicas ſcripturas. Ex operibus ergo iũcta fide, & gratia, ſalutẽ meremur, & iuſtificationem ſecundo modo acceptam. Vnde & Diuus Iacobus ait: *Abraham pater noſter nónne ex operibus iuſtificatus eſt, offerens Iſaac filium ſuũ ſuper altare?* Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides conſummata eſt, & ſuppleta eſt ſcriptura dicens: *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam, & amicus Dei appellatus eſt.* Videtis quoniam ex operibus iuſtificatur homo, & non ex fide tantùm. Hæc ille. Neque Paulus & Iacobus ſunt ſibi diuerſi. Cùm ille ait, Abrahamum

[Margin notes: *Vocabulum meriti.* — 326.26. — *Liber Eccleſiaſtici.* — *Euſeb. l. 4.* — 236.11. — 239.23. — *Iacob. 2.* — *Gene. 15.*]

eſſe

*Roma. 4.*
*Conciliatio locorũ Pauli et Iacobi.*

eſſe iuſtificatum ex fide, non autem ex operibus, hic autem ex fide & ex operibus. Nam Paulus refellit errorem Iudæorum, qui ſe meritis bonorum operum, quæ in lege præceſſerant, ad Euangelicam gratiam perueniſſe putabant, aſſerentes non eſſe ad eam recipiendos gentiles idololatras. Vnde aſſerit Paulus, non poſſe iuſtificari hominẽ ex operibus fidem præcedentibus. Hic autem Iacobus arguit eos, qui ſumpta ex verbis Pauli occaſione, ſemel in adepta fide otioſi degebant, ſatis eſſe illis credentes vel otioſam ad ſalutẽ. Cùm tamen, vt idem ait, *fides ſine operibus mortua eſt.* Cui & Paulus ſubſcribit, fidem in Chriſto valere dicens eã, quæ per dilectionem operatur. Neq; aliunde habent opera noſtra, vt merita dici poſſint, quàm ex merito paſsionis Chriſti, cuius ſanguine cùm aſperſa ſint, omnem illis dignitatem detrahere, & meritum, nihil aliud fuerit, quàm euacuare Chriſti crucem, & dicere: Ergo Chriſtus fruſtra mortuus eſt. Quem enim fructum nobis attuliſſet Chriſti mors, ſi opera bona, quę nos facimus nihilò digniora ſint, quàm eorum qui in Chriſtũ non credũt: ſi nihilò plus meremur per ea quàm illi? Prima igitur iuſtificatio paſsiuè accepta, ſic deſcribi poteſt.

*Galat. 5.*

*Opera vnde habẽt, vt merita dici poſſent.*

*Galat. 2.*

*Prima iuſtificatio, paßiuè accepta.*

teſt.

teſt. Iuſtificatio prima, eſt mutatio quædã ſupernaturalis, qua quis ex iniuſto fit iuſtus. Secũda verò iuſtificatio ſic deſcribitur: Eſt mutatio ſupernaturalis, qua quis ex iuſto fit iuſtior, hoc eſt, qua quis ex Deo, grato & amico, fit gratior & amicitior ipſi: & ex recto, pio, mundo, ſancto, fit rectior, mundior, ſanctior. Quoniã autem iuſtificari ſignificat idẽ quod iuſtũ fieri, iuſtus autem à iuſtitia dicitur: proinde dicendũ eſt de iuſtitia, vt intelligatur plenius iuſtificatio, de qua nunc eſt ſermo. Cùm variè accipiatur iuſtitia, & nunc quidem pro integritate vſurpatur, nunc pro gratia & amicitia. In propoſito accipitur generaliter iuſtitia pro exhibitione, vel redditione alicuius debiti. Et iuſti appellantur, qui reddunt quod cuique debent. Quia verò & alia alijs debentur, & diuerſimodè reddi poſſunt, & redduntur: proinde multiplex iuſtitia inuenitur apud Doctores. Eſt quædam iuſtitia interna, alia externa. Eſt iuſtitia Moſaica, ſiue legalis: & iuſtitia Chriſtiana, & Euangelica. Eſt iuſtitia fidei, & iuſtitia operum. Eſt iuſtitia Phariſaica ſimulata: & eſt iuſtitia verax, et ſyncera. Eſt iuſtitia Philoſophica ſeu moralis, et eſt iuſtitia Theologica ſeu ſupernaturalis. Et iuſtitia mora-

*Secunda.*

*Significationes iuſtitiæ*

*Diuiſio iuſtitiæ.*

moralis duplex eſt: legalis ſiue vniuer-
ſalis, & particularis, quæ in politicam
& œconomicam diuiditur, & tam Phi-
loſophica quàm Theologica, aut actua-
lis poteſt eſſe, aut habitualis. Et habi-
tualis, iuxta communẽ ſententiã Theo-
logorum, aut acquiſita aut infuſa. Eſt
*Iuſtitia externa.* autẽ iuſtitia externa, ceremonialis que-
dam & accurata exteriorum præcepto-
rum obſeruantia. Cui exactè obſeruan-
*Iuſtitia Phariſaica* dæ, quia attentè ſtudebant Phariſæi, &
Hypocritæ, & ſtudent ſemper quicun-
que nõ verè, ſed ſimulatè ſunt iuſti, ea-
*Iuſtitia operum exteriorum.* dem & phariſaica & hypocritica, & ſi-
mulata, & operum exteriorum dicitur
iuſtitia. Interna verò iuſtitia appellatur
*Iuſtitia interna.* quędam exhibitio fidei, ſpei, charitatis
& religionis, aliorumq́; affectuum in-
teriorum, qui nobis partim in Deum
partim in proximum præcepti ſunt. Iu-
*Iuſtit. Moſaica ſeu legalis.* ſtitia Moſaica ſiue legalis, dicitur obſer-
uantia præceptorum legis, datæ Iſrae-
litico populo per Moſyen. Iuſtitia ve-
*Iuſtitia Euangelica.* Euãgelica ſiue Chriſtiana, vocatur ob-
ſeruantia præceptorũ Euangelicorum,
quæ nobis data ſunt per Chriſtum. Et
quia in lege Moyſi multa pręcepta ſunt
data, de operibus præſertim exterio-
*Iuſtitia operum.* bus: cõtra verò factum fuit in lege E-
uangelica: ideo iuſtitia legalis dicitur
ab aliquibus iuſtitia operum: iuſti-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

autem Euangelica iuſtitia fidei. Iuſtitia moralis; vocatur iuſtitia quædam, qua quis bene ſe habet, & iuſtè, ſecundum præcepta moralia & naturalia. Et legalis ſiue vniuerſalis ad omnium virtutũ opera, quæ legibus præcepta ſunt, ſe extendit. Particularis autem ſpectat, vt vnicuiq; ius ſuum tribuat. Et ſiquidem tribuatur ciuibus, quod illis debetur, iuſtitia iſta politica peculiariter appellatur. Sin verò domeſticis tribuat, quòd illis debet, œconomica iuſtitia dicitur. Theologica verò iuſtitia, non tantum ſecundum præcepta moralia & naturalia, mores noſtros componit, ſed et ſecundum præcepta ſupernaturalia, iuſtos nos in noſipſos, & in proximos, et in Deum facit, & hæredes vitæ æternæ conſtituit. Poteſtq; dici iuſtitia Theologica, rectitudo ſufficiens ad conſequendam beatitudinem, vel obſeruantia præceptorum, quæ Theologia docet. Et de hac vna iuſtitia, ſiue ea actualis ſit, ſiue habitualis, ſiue qualitas creata, ſiue tantùm fauor Dei, & aſsiſtentia ipſius ſpecialis, Theologi ſcholaſtici & ſcripturæ loquuntur, cum aliquem iuſtificari, aut in iuſtitia proficere dicũt. Diuidunt autem iuſtitiã doctores Theologicã, in actũ & habitũ: et habitum in acquiſitũ et infuſum partiũtur.

*Iuſtitia moralis.*

*Legalis ſiue vniuerſalis iuſtitia.*

*Particularis.*

*Iuſtitia politica.*

*Oeconomica iuſtitia.*

*Theologica iuſtitia.*

*Iuſt. Theologica quid.*

*Iuſt. Theologica quomodo diuiditur.*

Quan-

*Iuſtitia actualis.* Quãdo præcepta, vel moralia, vel Th
ologica, vel naturalia, vel ſupernatura-
lia actu præſtamus, ipſa eorum execu-
tio, iuſtitia actualis vocatur. Quand
verò in nobis eſt aliqua qualitas perma
nens, quæ nos facit expeditos ad ea
*Iuſtitia habitualis.* exequenda, ea habitualis iuſtitia appel-
latur. Et habitualis iuſtitia acquiſita, ſi-
ue ea moralis tantùm ſit, ſiue Theolo-
gica, eſt habitus, ſiue conſuetudo boni
operibus comparata, inclinans nos a
ſimilium bonorum operum exercitia
*Infuſa iuſtitia.* his, ex quibus genita eſt. Infuſa verò d
citur, habitus à Deo infuſus, quo no
ſibi gratos, & in ipſius oculis iuſtos fa
cit, & ad ea quæ ſibi placẽt faciliuse-
equenda, facultatem tribuit: hãc iuſt
tiam qui habent, eos ſolos Theologi
appellat iuſtos. Quia verò iuſtitia
Theologicã, quicquid illa ſit, Deus do
nat nobis propter merita Chriſti, & i
*Iuſtitia Chriſti.* gratiã ipſi⁹, ea iuſtitia Dei, et Chriſti, e
noſtra dicitur, Dei, quia meritis ipſi⁹ co
municata: noſtra, quia nobis inhære
Et quia ea nulli vnquam adulto con
tingit, niſi per fidẽ, & per merita Chr
ſti: eadem & iuſtitia Chriſtiana & E
230.1. uangelica dicitur, & fidei dici poſſet. E
ſecundum hanc vnam ſimpliciter iu
ſtificantur, & ab ea iuſti ſunt & appel
lantur, quicunque iuſti dicuntur. Po

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Iuſtificatio quæ complectitur.*

ro hæc iuſtificatio in ſumma hæc complectitur. Primùm, reconciliationem cum Deo. Secundùm, remiſsionem peccatorum, quò ad culpam & pœnã, vel partem ipſius. Tertium, renouationem interioris hominis. Quartùm, ius & acceptationem ad vitam æternã. Nam per peccata inimici ſimus Deo, & reatum ad pœnas graues incurreramus, & bona interioris hominis penè omnia perdideramus, & ius ad gloriam amiſeramus, vt ante oſtenſum eſt. Mutatio autem illa, qua quis ex impio ſit iuſtus, poſt Euãgelium promulgatum, ſine lauacro regenerationis, aut eius voto fieri non poteſt, ſicut ſcriptum eſt: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, nõ poteſt introire in regnum Dei.*

*Lauacrũ regeneratiõis poſt promulgatũ Euangelium, neceſſariũ ad iuſtificationẽ, aut eius votum.*

*Exordiũ iuſtificationis in adultis.*

Præterea exordium ipſius in adultis, à Dei, per Chriſtum Ieſum, præueniente gratia, ſumendum eſt, hoc eſt, ab eius vocatione: quia nullis eorum exiſtentibus meritis, vocantur: vt qui per peccata à Deo auerſi erant, per eius excitantem atque adiuuantem gratiam, ad conuertendum ſe, ad ſuam ipſorum iuſtificationem, eidem gratiæ libere aſſentiendo, & cooperãdo diſponantur, ita vt tangente Deo cor hominis per Spiritusſancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omnino agat, inſpira-

tionem

tionem illam recipiens, quippe qui il-
lam abijcere poteſt, neque tamen ſine
gratia Dei, mouere ſe ad iuſtitiam co-
334.18. ram illo libera ſua volũtate poſsit. Vn-
de in ſacris literis, cùm dicitur: *Conuer-*
*Zacha.1.* *timini ad me, & ego conuertar ad vos:* li-
*Threnorum vltimo.* bertatis noſtræ admonemur. Cùm re-
ſpondemus: Cõuerte nos Domine ad
*Diſpoſitio ad iuſtitiã.* te, & conuertemur: Dei nos gratia præ-
ueniri confitemur. Diſponũtur autem
*Roma.3.* ad ipſam iuſtitiam, dum excitati diui-
*Duo neceſſaria ſunt, vt adulti ad ſuã iuſtificationẽ ſe præparent, gratia diuina & libertas ipſorũ.* na gratia, et adiuti, fidem ex auditu con-
cipientes, liberè mouentur in Deum,
credentes vera eſſe, quæ diuinitus reue-
lata & promiſſa ſunt. Atque illud in-
primis, à Deo iuſtificari impium, per
gratiam eius, per redemptionem quæ
eſt in Chriſto Ieſu: & dum peccatores
ſe eſſe intelligentes, à diuinæ iuſtitiæ ti-
more, quo vtiliter concutiuntur, ad con-
ſiderandam Dei miſericordiam ſe con-
uertendo, in ſpem eriguntur, fidentes
240.21. Deum ſibi propter Chriſtum propi-
tium fore, illumque tanquam iuſtitiæ
fontem, diligere incipiũt, ac propterea
mouẽtur aduerſus peccata per odiũ ali-
quod, & deteſtationẽ: hoc eſt, per eam
pœnitentiam, quam ante Baptiſmum
agi oportet. Denique dum proponunt
ſuſcipere Baptiſmum, inchoare nouam
vitam, & ſeruare diuina mandata. De

hac

hac diſpoſitione ſcriptum eſt: *Acceden-* *Heb.11.*
*tem ad Deum oportet credere quia eſt, & 340.9.*
*quòd inquirẽtibus ſe, remunerator ſit.* Et:
*Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* *Matth.9.*
Et: *Pœnitentiã agite, & baptizetur vnuſ-*
*quiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti, in* *Actuum.2*
*remiſſinoem peccatorum veſtrorum, & ac-*
*cipietis donum Spiritusſancti.* Et: *Eũtes do* *Matth. vlt.*
*cete omnes gentes, baptizantes eos in nomi-*
*ne Patris, & Filij, & Spiritusſancti: docen*
*tes eos ſeruare quæcunque mandaui vobis.*
Hanc diſpoſitionem ſeu præparatio-
nem iuſtificatio ipſa conſequitur, quæ
non eſt ſola peccatorum remiſsio, ſed
& ſanctificatio & renouatio interioris *Cauſæ iuſti*
hominis, per volũtariam ſuſceptionem *ficationis.*
gratiæ & donorum. Huius autẽ iuſtifi *Roma 3.*
cationis à Catholicis perhibentur cau- *Finalis.*
ſæ hæ: Finalis quidẽ, gloria Dei, ac vita *Efficiens.*
æterna: Efficiens, miſericors Deus, qui *2.Cor.1.*
gratuitò ſignificat, ſignans et vngẽs ſpi
ritu promiſsionis ſancto, qui eſt pignus
hæreditatis noſtræ. Meritoria autem, *Meritoria.*
dilectiſsimus vnigenitus ſuus Domi- *Roma.6.*
nus noſter Ieſus Chriſtus, qui in ligno
crucis nobis iuſtificationem meruit, &
pro nobis Deo patri ſatisfecit. Inſtru- *Inſtrumen*
mẽtalis itẽ, ſacramentũ Baptiſmi quod *talis.*
eſt ſacramẽtum fidei, ſine qua nulli vn-
quam contingit iuſtificatio. Demum *Hebræ.11.*
vnica formalis cauſa, eſt iuſtitia Dei, nõ *Formalis.*
qua

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

qua ipſe iuſtus eſt, ſed qua nos iuſtos facit: qua ſcilicet ab eo donati, renouamur ſpiritu mentis noſtræ, & non modo reputamur, ſed verè iuſti nominamur & ſumus, in nobis iuſtitiam recipientes, vnuſquiſq; ſecundum ſuã menſuram, quam Spirituſſanctus partitur ſingulis prout vult, & ſecundũ propriã cuiuſq; diſpoſitionẽ, et cooperationem. Quanquam enim nemo poſsit eſſe iuſtus, niſi cui merita paſsionis Chriſti Ieſu cõmunicantur, id tamẽ in hac impij iuſtificatione fit, dũ eiuſdẽ ſanctiſsimæ paſsionis merito, per Spiritumſan-

Charitas. ctũ charitas Dei diffunditur in cordibus eorũ, qui iuſtificantur, atq; ipſis inhæret. Vnde in ipſa iuſtificatione cum remiſsione peccatorum, hęc omnia ſimul infuſa accipit homo per Ieſum Chriſtũ, cui inſeritur per fidẽ, ſpem, & cha-

239.2. ritatem. Nam fides niſi ad eam ſpes accedat, & charitas, neq; vnit perfectè cum Chriſto, neq; corporis eius viuũ mem-

Iacob.2. brum efficit. Qua ratione veriſsimè dicitur, fidem ſine operibus mortuam eſſe. Et in Chriſto, neque circunciſionem aliquid valere, neque præputium, ſed fidem quæ per charitatẽ operatur. Hãc fidem ante Baptiſmi ſacramentum ex

Catechumeni. Apoſtolorum traditione Catechumeni, id eſt, qui ad fidem inſtruuntur,



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Eccleſia petunt, cùm petunt fidem vitam æternam præſtantem, quã ſine ſpe & charitate fides præſtare non poteſt. Vnde & ſtatim verbum Dei audiunt: *Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata.* *Matth. 19.* Itaque veram & Chriſtianam iuſtitiam accipientes, eam ceu primã ſtolam, pro illa, quam Adam ſua inobedientia ſibi & nobis perdidit, per Chriſtum Ieſum illis donatam, candidam & immaculatam, iubentur ſtatim renati conſeruare, vt eam referant ante tribunal Domini noſtri Ieſu Chriſti, & habeant vitam æternam. Quòd ſi cuipiam libeat ſcire cauſas iuſtificationis, ſecundum quatuor genera cauſarum, quæ à præſtantiſsimis ponuntur, finalem, formalem, materialem, & efficientem.

*Cauſæ iuſtificationis ſecundũ vulgatã diuiſionem cauſarum.*

Finalis cauſa eſt Deus, & vita æterna.

*Finalis.*

Formalis, gratia ipſius, vel acceptatio paſſiua, qua iuſti nominamur & ſumus.

*Formalis.*

Materialis ſeu ſubiectiua, quæ vulgò dicitur materia, in qua anima noſtra, vel nos ipſi.

*Materialis.*

Efficiens autem eſt multiplex. Vna principalis, Deus pater. Altera minus principalis, Chriſtus, & ſacramenta. Præparatoria, nosipſi, & qui nos ad ea exhortantur, quæ à nobis requiruntur vt iuſtificemur. Meritoria Cauſa eſt CHRISTVS. Diſpoſitiua, actus noſtri. Miniſterialis, Sacerdo-

*Efficiẽs cauſa iuſtificationis multiplex.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

cerdotes qui adminiſtrãt nobis ſacra-
menta. Sed de iuſtificatione hactenus
pro ratione compendij dictum eſto.
*Tranſitio.* Quoniam autem crebra mentio gratiæ
Dei facta eſt, liberique arbitrij, prętereà
baptiſmi, cæterorumque ſacramento-
rũ, proinde paucis de ſingulis agemus.
*Gratiæ Dei* Gratia Dei duplex eſſe perhibetur. V-
*diuiſio & * na: gratia gratum faciens, quæ eſt for-
*deſcriptio.* ma ſpiritualis, ſine noſtris meritis à
245.19. Deo nobis donata, habentem faciens
gratum Deo, & opus eius coram Deo
bonum reddens, remunerandum æter-
*Gratia vn* na fœlicitate. Quę ob id gratia dicitur,
*de dicta.* quòd gratis datur, nihilq́; noſtrum pre-
ceſsit, vt eam accipere meremur. Vnde
*Ephe. 2.* Paulus: *Si autem gratia, iam non ex ope-*
*bus, alioquin gratia nõ eſſet gratia.* Au-
*tur autem in nobis, & perficitur ab eodem*
*Domino Deo ſecundum cooperationem no-*
*Gratia gra* *ſtræ voluntatis.* Altera gratia eſt, quæ di-
*tis data.* citur vulgò gratis data, quæ eſt donum
quodlibet à Deo gratis conceſſum ho-
mini, natura facultatem excedens, quo
vnus alteri ad ſalutẽ cooperatur, qualis
eſt donum linguarũ, gratia ſanitatum,
prophetia, &c. Hęc ſola gratia hominem
non iuſtificat, nec ſaluat, id quod li-
quet ex verbis Chriſti apud Matthæ.
*Math. 7.* *Multi,* inquit, *dicẽt mihi in illo die, Domi-*
*ne, Domine, nonne in nomine tuo virtu-*

vir-

*multas fecimus, & in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus? Et tunc confitebor illis, quia nunquã noui vos, diſcedite à me cũs operarij iniquitatis.* Alij fuſius & nõ inutiliter gratiam Dei diuidunt ſic: Gratia Dei accipitur generaliter, & ſpecialiter. Generaliter accepta, appellatur quicquid nõ præcedentium aliquorũ operum meritis, ſed gratuita Dei bonitate donatur. Et ſic accepto vocabulo nõ ineptè gratia dicitur natura, in qua conditi ſumus, vt ſcilicet eſſemus homines non bruta, &c. Hãc gratiam, quam quidam appellant donum naturæ, habent impij nobiſcum communem. Gratia verò ſpecialiter accepta, eſt occulta miſericordia Dei, qua per ſubminiſtrationem ſpiritus ſanatur ac ſaluatur natura, qua prædeſtinati vocamur, iuſtificamur, ſanamur & glorificamur. Hæc eſt illa gratia, quam diuinæ literæ prædicant, de qua dixit Apoſtolus: *Non irritam facio gratiam Dei.* Nam ſi per legem iuſtitia, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt. Nimirũ gratiam intelligens, qua iuſtificamur ab iniquitate, & qua ſaluamur ab infirmitate, non qua creati ſumus, cũ propria volũtate. Hęc gratia bifariã diuiditur, in gratiã operãtem & cooperãtem, ſeu in præueniẽtẽ et ſubſequẽtẽ.

*199. 12.*

*Diuiſio gratiæ fuſior.*

*Gratia Dei generalis et ſpecialis.*

*Gratia ſpecialiter accepta.*

*Galat. 2.*

*Gratia ſpecialis operans & cooperans, ſeu præueniens & ſubſequens.*

*Pſalm.58.* Vtraque in ſacris literis expreſſa legi-
*Pſalm.22.* tur, vt Pſalmographus ait: *Miſericordia*
*Aug. in En* *eius præueniet me, et miſericordia Dei ſub-*
*chi.c.32.* *ſequetur me.* Deus enim nolentē præue-
nit, vt bene velit: & volentē ſubſequi-
tur, ne fruſtra velit, ſed vt perficere va-
*Operãs gra* leat. Operans ergo gratia eſt, quæ præ-
*tia.* uenit ac præparat voluntatem, non vt
230.10. fiat voluntas, quia & ante hãc gratiam
voluntas erat, ſed vt bona volũtas fiat,
& quæ prius erat ſerua peccati, libere-
*Cooperans* tur. Cooperans verò gratia, volunta-
*gratia.* tem iam bonam factam ſubſequitur, vt
quòd iam vult bonũ, perficere poſſit.
*Volũtas ho* Nam voluntas hominis, quam natu-
*minis ſine* raliter habet, nō valet erigi ad bonum
*gratia non* efficaciter volendum, vel opere implen-
*erigitur ad* dum, niſi per gratiam liberetur, & adiu-
*bonum.* uetur, iuxta Pauli ſententiam: *Deus eſt,*
*Philip.2.* *qui operatur in nobis velle et perficere, pro*
*bona ſua voluntate.* Quamobrem &
Hieremias ait: *Scio Domine, quia non eſt*
*Ierem.10.* *hominis via eius: nec viri eſt, vt ambulet*
*& dirigat greſſus ſuos.* Gratia præueni-
*Gratia præ* ens duplex eſt in ſumma. Vna, qua De⁹
*ueniens du* præuenit peccatorem, vt reſurgat. Alte-
*plex.* ra, qua peccator præuenienti Deo aſſen-
217.26. tiens iam reſurgit. Vtramq; volunta-
tem noſtram præuenit Deus, ſed prio-
rem ſubminiſtrando, ſolus operatur: in
altera voluntas noſtra Deũ præuenien-
tem

tem ſubſequens, ei per velle ſeu aſſenſum, remiſsionem peccatorum accipiendo cooperatur. Prior gratia, qua Deus hominem præuenit ac incitat, vt reſurgat, iterum duplex eſt. Vna generalior, quæ eſt bonus motus, bonaque cogitatio. Veluti cũ peccator Deo inſpirante, agnoſcit peccatum ſuum, cum terrore gehennæ concutitur, cùm de amittenda æterna beatitudine dolet. Altera ſpecialior eſt, tot habens ſpecies, quot ſunt ſpeciales boni motus ad reſipiſcendum: veluti ſunt auditio verbi Dei, immiſsio aduerſitatis, quæ ferocientis hominis animum deijcit, & ad Deum reſpicere facit, remotio occaſionis peccandi, ablatio ſeu debilitatio tentationis, & id genus alia. Gratia generalius accepta, Deus nulli hominum deeſt, adeò vt nullus ſit peccator tã ſcelestus, cui Deus, quoad in hac vita ſuperſtes fuerit, hanc gratiã penitus ſubtrahat. Nam per hanc ſtans ad oſtium pulſat, initium noſtræ ſalutis (quæ eſt peccati cognitio) in nobis operari deſiderans. Et quis tandem eſt hominum, qui non ſentiat ſe hac gratia præueniri, quum & Gentes oſtendant opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium illis reddente conſciẽtia illorum. Et vel Pharao, vel Iudas traditor exem

*Gratia qua Deus præuenit homĩnẽ duplex.* 249.10.

*Gratia generalius accepta.*

3

*Deus nulli deeſt.*

*Apoc. 5.*

plo eſſe poſſunt, quã liberalis ſit Deus
in hac gratia ſubminiſtranda. Certè
Prophetæ teſtantur Deum non ſolùm
à conuerſis non auerti, ſed etiam ad a-
uerſos conuerti. Nam Hieremiæ tertio
ſic legimus: *Si dimiſerit vir vxorẽ ſuam,*
*& illa recedens duxerit virum alium, nun-*
*quid reuertetur ad eũ vltra? nunquid non*
*polluta & contaminata erit mulier illa? Tu*
*autẽ fornicata es cum amatoribus multis,*
*tamen reuertere ad me, dicit Dominus.* I-
Eſaiæ. 49. dem apud Eſaiam ſcribitur: *Nunquid po-*
*teſt obliuiſci mater infantem ſuum,* dicit
Dominus, *vt non miſereatur filio ventris*
*ſui? Etſi illa oblita fuerit, ego tamen nõ ob-*
Ezech. 18. *liuiſcar tui, dicit Dominus.* Et apud Eze-
chielem: *Quare moriemini* (inquit Domi-
nus) *domus Iſraël, quia nolo mortẽ morien-*
*tis, dicit Dominus: reuertimini & viuite.*
Quòd autem in actibus Apoſtolorum
dicit Paulus: *Deum in præteritis genera-*
Solutio ob- *tionibus, dimiſiſſe omnes gẽtes ingredi vi-*
iectionis. *as ſuas,* non ſic intelligendum, quaſi
Actu. 14. Deus Gẽtib⁹ ſua gratia defuerit. Quin-
imò ipſe Paulus ſtatim ſubiecit: Et
quidem non ſine teſtimonio ſemetip-
ſum reliquit benefaciens, de cœlo dans
pluuias, & tẽpora fructifera, implẽs ci-
bo & lætitia corda eorum. Similiter ca-
pite 17. ait, Deum feciſſe ex vno omne
genus hominũ inhabitare ſuper vniuer-
ſam

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſam faciē terræ, definiens ſtatuta tēpo-
ra, & terminos habitationis eorum, vt
quęrerent Deum, ſi forte attrectent eũ,
aut inueniant. Quod cùm faciat, putan Rom. 1.
dus ne eſt vlli genti gratiam ſuam præ-
uenientem ſubtraxiſſe? Verũ cùm Gen
tes id quod de Deo cognoſci poteſt, ma
nifeſtũ habuerint, quod Deus illis per
gratiā præuenientē manifeſtauerit, nec
tamen, cùm cognouiſſent Deum, ſicut 18.20.
Deum glorificauerũt, aut gratias ege-
runt, ſed euanuerũt in cogitationibus 78.4.
ſuis: factum eſt, vt gentes Dei gratiam *Cur motus*
contemnentes ac repudiantes, dimiſſæ *ſpecialis*
ſunt ingredi vias ſuas. Atque eadem ra *gratiæ non*
tione fit, vt nō omnes motus illos gra- *omnibus*
tiæ ſpecialis, omnibus peccatoribus *peccatori-*
Deus impertiat, in cauſa enim eſt pec- *bus Deus*
catoris obduratio, gratiam illam com- *impertiat.*
munem ſeu generalem negligentis ac 256.8.
repudiantis. In quam ſententiam dixit 272.32.
Apoſt. *Et ſicut non probauerunt Deum ha* Roma. 1.
*bere in notitia, tradidit illos Deus in repro-*
*bum ſenſum, vt faciant ea quæ non conue*
*niunt, repletos omni iniquitate.* Tradidit, 104.22.
inquam, id eſt, permiſit, vt per cupidita *Tradere in*
tes cordium ſuorum, in omnes iniqui- *reprobũ ſen*
tates & immunditiā ruerent. Atq; ita *ſum quid*
fit, vt peccatũ ſit alterius peccati cauſa: *ſit.*
quinimò vt idem ſit ſimul peccatum &
peccati pœna. Nam gratiæ cōtemptus

grauiſsimum peccatum eſt, & pecc
cauſa, nempe omnis iniquitatis & im-
munditię, in quā Dei contemptor ruit.

*De prædeſtinatione ſanctorum, cap. 10.*
*Roman. 9.*
*Ad gratiā præueniētē gratia iuſtificans neceſſaria.*

Non eſt igitur hic peccatū Dei, ſed iu-
dicium, vt ait Auguſtinus. Non enim
eſt iniquitas apud Deū, vt Paulus do-
cet. Sed de ea re paulò poſt pleni⁹. Hæc
autem gratia pręueniens, qua Deus ex-
citat hominem, vt iuſtificetur, etſi ex-
mia eſt, non tamen ſufficit, niſi acceda
gratia iuſtificans, quæ voluntatem ſa-
nat, & facit vt rectè viuatur. Ad hāc gra-
dibus quibuſdam peruenitur, nēpe pe
gratiam operantem ſeu pręuenientem
& adiuuantem ſeu excitantem. Poſt-
quam igitur per gratiam iuſtificantem
hominis voluntas ſancta, & à captiui-
te liberata fuerit ad ſuperandas concu-
piſcentias, & tentationes carnis, dia-
boli, mundi, operandumque bonum

*252.1.*
*Gratia ſubſequens.*
*1. Cor. 15.*
*Hier. cōtra Pelag.*

neceſſaria eſt gratia ſubſequens & co
perans, de qua dixit Apoſtolus: *Plus il-
lis omnibus laboraui: Non ego autem, ſ
gratia Dei mecum*. Vnde illa dicta Hie-
ronymi. Vnum: Qui dixerit Deum im-
poſsibilia præcepiſſe, anathema ſit. Al-
terum: Qui dixerit, nos poſſe manda
Dei implere ſine gratia, anathema ſi
Lex ergo poſsibilis, ſed p gratiā. Qu-
obrem & poſt iuſtificationē gratia vo-
lūtati accedere debet, vt lex impleatur

Na

Nam, vt Chriſtus ait: *Sine me nihil po-* *Auguſt. de*
*teſtis facere.* Neque per gratiam tollitur *ſpiritu &*
liberum arbitrium, ſed magis ſtatui- *litera.*
tur: quemadmodum per fidem non tol
litur lex, ſed magis ſtatuitur. Gratia e-
nim liberum arbitrium, quod ſanet & 149.17.
adiuuet, præſupponit, ſicut medicina
ægroti voluntatem, medicinam non a-
uerſantem. Et fides propterea à Deo da 318 17.
tur, vt per fidē gratiam, qua legem im- 345.1.
pleamus, impetremus, & quod impoſ-
ſibile erat legi, per fidem in Chriſtum
obtineamus. At inquit quiſpiam: Si lex *Quæſtio.*
poſsibilis per gratiam, oſtende ergo ho
minem, qui gloriari poſsit ſe in hac vi-
ta, quandiu caro concupiſcit aduerſus
ſpiritum, perfectè legem implere, ſeque
ſine peccato eſſe: Is reſponſum hoc ha
beat, hæc duo nō pugnare, nempe non
inueniri hominem in hac vita ſine pec-
cato, & tamen fieri poſſe per adiutoriū
gratiæ Dei, vt inueniri poſsit quis ſine
peccato. Quod Eccleſia in Virgine ma 45.17.
tre vſu veniſſe aſſerere non dubitauit.
Multa enim ſunt quæ fieri poſſent, quę
tamen non fiunt. Sic etſi nemo in hac
vita ſit, qui audeat dicere ſibi non ne-
ceſſariā precationē orationis domini-
cæ, Dimitte nobis debita noſtra: vel ſe
non habere peccatum, ne (Diuo Ioan-
ne teſte) ſeipſum decipiat, & veritas in

eo non fit: tamen id vt fiat, quandiu vi-
*Aug. ad Innoc.* uimus, ſedulò conandum & poſcen-
dum eſt. Tolerabiliter in id quiſq; fal-
litur, nec diabolica impietas, ſed error
humanus eſt, elaboranda & optanda
affirmare, etiamſi quod affirmat, non
poſsit oſtēdere: id enim credit fieri poſ-
*Obiectio.* ſe, quod certè laudabile eſt velle. Vnde
*1. Ioan. 3.* Chriſtus. *Eſtote perfecti, ſicut & pater ve-
ſter veſter cœleſtis perfectus eſt.* Quòd au-
tem Ioennes dixit: *Qui natus eſt ex Deo,
non peccat*, intelligendum eſt eatenus,
quatenus ex Deo natus eſt, & in chari-
tate manet, et ſecundum charitatē ope-
ratur, non peccat. Charitas enim nō a-
*1. Cor. 3. 4. 15.* git perperam, ſed perficit eam natiuita-
tem, quæ ex Deo eſt, minuitq; cupidi-
tatem, quę ex Adam eſt. Interim tamen
hæc cupiditas, radix illa peccati, quan-
diu eſt in membris noſtris, lege qui-
*Roma. 7.* dam ſua repugnat legi mētis. Quò fit,
vt nemo non ſit, qui non cogatur que-
ri, ſe longè à perfectione legis abeſſe,
ſuosque conatus in dies infirmitate car-
nis remorari. Quemadmodū Chriſtus
*Matth. 26.* ad tres diſcipulos dixit: *Spiritus quidem
promptus, caro autem infirma*. Aliud au-
tem eſt ſine peccato, aliud ſine crimine
viuere. Aliud ambulare in omnibus iu-
ſtificationibus Domini, ſine querela,
quod de Zacharia & Elizabeth legi-
mus

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

mus. Aliud in nullo labi vel infirmari. Vixit Zacharias ſine querela, ſed non ſine peccato. Peccati verò appellatione omnis humanus lapſus venit: ſed quod in querelam venit, non qualecunque etiam tentationis humanæ vitium, ſed graue peccatum eſt, aut crimen. Homines itaq; pij etſi ſentiant imperfectionem ſuam, & pugnam illam internam carnis & ſpiritus, qua fit vt ſpiritus per carnem remoratus non adimpleat legem: tamen cùm carnis deſiderijs non obediunt, nec exhibent membra ſua arma iniquitatis peccato, poſſunt dicere: *Iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum*, hoc eſt, ſpiritalis quidem & internus homo ad perfectionem legis contendit, ſed peccatum inhabitans (nimirum inteſtina illa concupiſcendi vis, quæ perpetuam ſedem in membris noſtris dum vixerimus, habet) perficere non ſinit. Nihilo ſecius tamen imperfecta illa obedientia, & opera noſtra adiuta per gratiam ſubſequentem, etſi legem non adimpleant, tamen Deo placent, non quidem propter dignitatem voluntatis ſeu operis iuſti, ſed imputatiuè per gratiā. Poſtquam enim Deus per gratiam iuſtificantem, nos recipit in filios, & cohæredes Chriſti, idq; per fidem, fit vt poſtea

Luce. 1.

389.5.

Roman. 7.

Roman. 6.

 ope-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

329.28. opera noſtra tanquam filiorum & re-
conciliatorum in fide, & timore filiali
facta, licet non admodũ perfecta Deo
Ephes. 5. placeant, quia iam placent per Chri-
Ioan. 1. ſtum, ex cuius perfectione noſtram im
perfectionem ſupplemus. Sumus enim
membra corporis eius, de plenitudine
eius omnes accipientes, & iuſtitiam e-
2. Cor. 5. ius noſtram facientes. In quam ſenten-
Roma. 8. tiam dixit Apoſtolus: *Nihil ergo nunc
damnationis eſt his, qui ſunt in Chriſto Ie-
ſu, qui non ſecundum carnem ambulant.*
Nam, vt ſubijcit, Deus filium ſuũ mit-
tens in carnem, præ ſe ferentem ſimili-
tudinem peccati, de peccato peccatum
damnauit. Eum enim qui peccatũ non
nouerat, pro nobis peccatum fecit, id
eſt, hoſtiam pro peccato. Non alia ra-
tione, quàm vt iuſtificatio legis, id eſt,
349.18. quam lex promiſit, impleretur in no-
bis, vt à maledictione legis (qua male-
dictus dicitur omnis, qui non perman-
ſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in
libro legis, vt faciat ea) liberaremur. In
CHRISTO ergo manẽtes, per Chri-
ſtum (qui ſolus legem impleuit) legem
Galat. 3. imputatiuè implemus. Si tamen non
216.27. ſecundum carnem ambulauerimus, id
357.21. eſt, etſi plærunque carnis cupiditates
perſentiſcamus, illis tamẽ nullum con-
ſenſum præbeamus, nec ſecundum de-
ſideria

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſideria carnis ambulemus. Vnde Auguſtinus: Nullus ſanctus & iuſtus caret peccato, nec tamen ob hoc deſinit eſſe iuſtus vel ſanctus, cum affectu teneat ſanctitatem. Non enim naturæ humanæ viribus, ſed propoſiti adiumento, per gratiam Dei acquirimus ſanctitatem. Sed de Gratia Dei hactenus. Ex prædictis liquet, in nobis liberum arbitrium eſſe debilitatum & inclinatum, taleque eſſe vt voluntas noſtra, libero arbitrio, à bono declinare poſsit, vt faciat malum, vt verò à malo declinet quo faciat bonum, id non fit ſine diuino arbitrio, inquit Auguſtinus. Qui alibi ait: Sic confitemur liberum arbitrium, vt dicamus nos ſemper Dei indigere auxilio, & tam illos errare qui cum Manichæo dicunt, hominem peccatum vitare non poſſe, quàm illos qui cum Iouiniano aſſerunt hominem non poſſe peccare, vterque enim tollit arbitrij libertatem, nos verò ſemper peccare, & non peccare poſſe, vt nos liberi confiteamur arbitrij. Proinde ſic à quibuſdam deſcribitur. Liberum arbitrium eſt facultas rationis vel volũtatis, qua bonũ eligitur gratia aſſiſtente, malũ autẽ ea deſiſtẽte. Duplex enim vis protoplaſto data fuerat, vna ratio, qua Deũ cognoſceret. Altera, vo-

*Auguſt. de dogm. eccl. 249.21.*

*Liberum arbitriũ quale in nobis. 257.13.*

*Aug. li. 15. cap. 21. ciuit. Dei. ſermo. 102. de tẽpore.*

*Liberum arbitrium quid. 10.*

*Vis duplex protoplaſto indita.*

luntas, qua illi adhæreret: quæ poſtea
per peccatum in illo vitiatæ ſunt, & in
*Probatio libertatis noſtræ ex ſacris literis quintuplex 258.12.* nobis ceu ſtirpe. Ratio quidem igno-
rantia: voluntas autẽ concupiſcẽtia car-
nali, de qua ante dictum eſt. Ea autem
libertas probatur multis ſacræ ſcriptu-
ræ locis. Primò quia in ſacra ſcriptura
datur nobis optio & permmittitur, vt
1 vtrum vis ex duobus eligamus. In Deu-
*Deute.30.* teronomio Moyſes proponit populo
Iſraëlitico vt eligat benedictionem, vel
*Ioſue vlt.* maledictionem, Ioſue etiam propoſuit
eidem, an Deũ ſequi vellet nec ne. Iere-
miæ præcepit Dominus, vt diceret po-
*Iere.21.* pulo ſuo: *Hæc dicit Dominus Deus: Ecce*
*ego do coram vobis viam vitæ, & viam*
*mortis, qui habitauerit in vrbe morietur,*
*qui egreſſus fuerit, viuet.* Ad hæc mul-
2 dicuntur in ſcripturis voluntaria &
ſponte fieri. Dauid dicit: *Voluntaria oris*
*Pſal.118.* *mei beneplacita fac Domine.* Et alibi: *Vo-*
*Pſal.53.* *luntariè ſacrificabo tibi.* Eſaias: *Si volue-*
*Eſaiæ.1.* *tis, & audieritis, bona terræ comedetis.* Ie-
*Iere.18.* remias: *Si pœnitentiã egerit gens illa.* Chri-
ſtus apertiſsimè teſtatur noſtræ ſubeſſe
poteſtati obſeruantiam mãdatorũ, &
quelam ipſorum, perfectionem Euan-
*Matth.15.* gelicam, dicens: *Si vis ad vitam ingredi.*
*Marc.8.* *Si vis perfect' eſſe. Si quis vult venire poſt*
*me.* Tertiò multa eſſe dicũtur in noſtra
3 poteſtate. Ioannes dicit dediſſe Deum
po-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

poteſtatē hominibus, vt filij Dei fiant. Paulus aſſerit neminem habere neceſ- 1. Cor. 7.
ſitatem, ſed potius poteſtatem voluntatis ſuæ, vt ſeruet virginem ſuā. Quar- 4
tò, multa dicuntur in ſcriptura fieri à peccatoribus contra voluntatem Dei de ipſis: & in multis dicuntur peccatores reſiſtere Deo. In Exodo dicitur Pha- Exod. 10.
rao reſiſtere Deo. In Actibus dicit: Ste- Actuum. 7
phanus Iudæos reſiſtere ſpirituiſancto. In Eſaia: *Expectaui vt faceret vuas, & fecit labruſcas.* Et per eundem ad Iſraël dicit teſte Paulo: *Tota die Expandi* Rom. 10.
*manus meas ad populum non credentem, et contradicentem mihi*. Et ad Ieruſalē ait: *Quoties volui congregare filios tuos ſicut* Matth. 23.
*gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti.* Quintò, ſcriptura omnia facien- 5
da cum conſilio docet. Et vt videre eſt, aliqua præcipit, aliqua prohibet, aliqua laudat, alia vituperat, alia præmiat, aliqua punit. *Omnis etiam ſcriptura* ſicut docet Paulus, *vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus*. Cùm igi- 57.4.
tur neceſſaria & naturalia, neque optioni noſtræ permittuntur, neque noſtræ aut poteſtati ſubſint, neque voluntaria appellentur, aut ſponte fieri dicuntur, neque laudem, neque vituperium,

neque

neque præmium aut pœnam merean-
tur, etſi omnia neceſſariò euenirent, ſu-
peruacuum ſit docere, arguere, corripe-
re, conſulere, diſſuadere, certè liquet ex
vniuerſa ſcriptura poſſe colligi liberta-
247.19. tem noſtri arbitrij. Atque hac ratione
*Homines mali ſuo vitio pereunt* fit, vt homines praui, ſuo vitio pereant,
cũ Deo, qui vult omnes ſaluos fieri, &
ad agnitionem veritatis peruenire, vt
*1. Tim. 2.* Paulus ait, parere recuſant, voluntatẽ-
257.32. que ſuam, quam ille excitat et adiuuat,
à bono declinant. Quid enim faciat
medicus, ſi ægrotus renuat ſalutiferum
pharmacum? Quam rem Dominus ip-
*Oſeæ.13.* ſe apertiſsimè oſtendit apud Prophe-
328.23. tam. *Perditio* (inquit) *tua ex te Iſraël, tan-
tummodo in me auxilium tuum*. A nobis
ergo eſt quòd deficimus, quòd erra-
mus, quod perimus. Ille ſemper ſtat ad
oſtium, & pulſat, ſemper vocat, ſem-
per hortatur, ſemper inſtigat ad bo-
*Apocal.3.* num. *Ego* (inquit) *ſto ad oſtium, & pulſo;
ſi quis audierit vocem meam & aperuerit
mihi, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo,
Similitudo & ipſe mecum*. Nihil ergo mirum ſi ille
peccato demerſus ſuccũbat, hic reſur-
gat, hic enim diuinæ gratiæ dexteram
nõ neglexit, ſed apprehẽſæ dexteræ du-
ctu et tractu, è peccatorũ fæcibus emer-
ſit. Ille verò diuinæ gratię dexterã ſo-
lò oblatã ac nunquã ſubtractam, ap-
hen-

hendere neglexit, & ſic in peccatorum
luto defixus remanſit. Neminem au- *Cur Deus*
tem Deus cogere vult, ſed ſuadet vt re- *neminem*
ctè faciamus, ait Chryſoſtomus. Et *cogit.*
quicunq; ipſi aſſentiuntur, eos allicit et 335.27.
trahit, vt ſic vnuſquiſque currendo vo- *Hom.9.ſu*
luntate ſua à Deo præparata meritum *per Ioan.*
accipiat, ſi autem nolit, culpa non va-
cet. Quod ſi nolentes ad ſeruiendũ tra
heret, non ſecus eis deberet (inquit idẽ)
ac ſi nullum præſticiſſent ſeruitiũ. Sed 249.6.3.
hic occurrunt quædam quibus putant
aliqui libertatem arbitrij tolli, quę pau
cis perſtringam. Primò exiſtimãt qui- *Quæſtio de*
dam præſcientiam certiſsimam, cùm li *præſcientia*
bertate arbitrij ſtare non poſſe: atq; ob *Dei.*
id cauſam eſſe mali. Hi quòd præſcien- *Præſcientia*
tiam Dei ponunt & eam quæ falli non *Dei falli nõ*
poteſt: rectè illi quidem. Nam ſi certa *poteſt.*
non eſſet, nulla eſſet. At ſentire hãc nul
lam eſſe in Deo, amentia eſt, & impie- *Augu.li.5.*
tas. Hoc enim eſſet diuinitatem illi tol *de Ciuit. et*
lere, cum eidem præſcientia non ſit ac- *de lib. arbi.*
cidens, ſed ſubſtantia. De qua quidem *lib.3.*
præſcientia Dei inter cætera, eſt illud
Pauli: *Elegit* (inquit) *nos ante mundi con*
*ſtitutionem, vt eſſemus ſancti & irrepre-* *Epheſ.1.*
*henſibiles in conſpectu eius in charitate.*
Quod ſi elegit, certè pręſciuit. Hinc Au *Auguſt. de*
gu. Præſciuit nos ei⁹ diuinitas, ſapiẽtia *prædeſt. &*
cõdidit, iuſtitia dãnauit, gratia libera- *gratia.*

uit.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

uit. Et cùm apud Deum neque futura

*Quomodo Deus præſcire dicitur*

ſperantur, nec præterita tráſierunt, ſed in præſentia diuinitatis præſenti ſemper luce, ſemper cernũtur: non rectè præſcire dicitur, niſi relatu ad actiones noſtras. Hanc præſentiam qua ſemper præſenti luce omnia cernuntur, innuit Deus pater, cùm ad filium loquitur: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.*

*Pſalm. 2.*

*Præſcientia non eſt cauſa mali, nec tollit arbitrij libertatem.*

Cæterum quod putant præſcientiam eſſe cauſam mali, eaque tolli arbitrij libertatem, hoc vt ineptum, ita & maximè impium cenſendum. *Non enim Deus eſt iniquitatem volens*, vt Pſalmographus ait. Gui & Paulus ſubſcribit cùm dicit: *Nunquid iniquitas apud Deum?* abſit.

*259. 29.*
*Pſalm. 5.*
*Roman. 9.*

Quamuis autem Deus præuideat eos, qui propria voluntate peccant, non eſt tamen cauſa peccati. Sicut enim nemo memoria ſua cogit facta eſſe quæ prætereunt, ſic Deus præſcientia ſua non cogit facienda, quæ futura ſunt.

*Aug. de vera innocentea ca. 379*

Et ſicut homo quædam quę facit meminit, nec tamen omnia quæ meminit facit: ita Deus omnia quorum ipſe author præſcit, nec tamen omniũ quæ præſcit, ipſe eſt author.

*Libertas cauſa contingentium in humanis actionibus.*

Eſt igitur libertas cauſa contingentiũ in humanis actionibus, qua quidé contingétia, Deus ita pręuidet, vt non tollat modũ agendi naturæ inditum.

*Iudas.*

Sic præuidit Deus Iudæ ma-

lam

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

lam voluntatem, permiſit vt perderet Chriſtum, non coactus, ſed voluntariè, & decreuit quo modo Iudam ſic voluntariè peccantem perderet. Nō ergo Iudas peccauit neceſſariò, quod ſi dicas: *Oportebat impleri ſcripturam, quā præ dixit ſpiritusſanctus per os Dauid de Iuda:* Sciēdum eſt duplicē eſſe neceſsitatem. Vnam abſolutam, quæ vulgo dicitur neceſsitas conſequentis. Veluti neceſſe eſt Deum eſſe: hominem eſſe animal rationale. Nam hę aliter ſe habere non poſſunt. Alia eſt neceſsitas conſequentię, qua neceſſariò euenire dicimus, non quæ ſua natura neceſſaria ſunt, ſed neceſſariò ſequuntur propter præcedentes cauſas. Vt, oportebat Chriſtum pati, non neceſsitate abſoluta, ſed quia lapſus erat homo, ſicque Deus decreuiſſet, vt per mortem filij ſui liberaretur à peccato, & damnatione æterna. Ita & de Iuda oportebat impleri ſcripturam, quia viderat Deus malam voluntatem Iudæ, idcirco per Prophetam id facturum Iudam prædixit. Ad eum modum, Deus præuidit quoſdam angelos, & primos homines peccaturos ſua arbitrij libertate, quam talem illis dederat, vt ſi vellent deſererent Deum, continuoq; eſſet miſeria ſecutura. Nō tamen illos præſcientia ſua ad peccandum

*Occupatio.*

*Actuum.1.*

*Neceſsitas duplex.*

*269.29.*

*260.2.*

*Eccle.15.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Quæſtio de angelis & protoplaſto. c.1.l.22.de ciuita.Dei Aug.lib.2. de Geneſi contra Manichæum. Ioan.1. 362.9.*

dum coëgit. Cur autem Deus ſciēs angelos quoſdam & homines deſertores Dei futuros, eis hanc poteſtatem non ademit? ratio eſt (vt docet Auguſtinus) quia potentius, & melius iudicauit etiā de malis benefacere, quàm mala eſſe nō ſinere. Quæ omnino nulla eſſent niſi natura mutabilis angelorum & hominis, quāuis bona à ſummo Deo condita peccando ea mala ſibi ipſa feciſſet. Multa enim (inquit idem) fiunt à malis contra voluntatem Dei, ſed tantæ eſt ille ſapientiæ tantæq; virtutis, vt in eos exitus ſiue fines quos ipſe bonos & iuſtos præſciuit, tendant omnia quæ voluntati eius videntur aduerſa. Sic cùm ſe diabolus peccando feciſſet, Deus omnipotens & bonus maximè perſpicitur, cum de malitia eius multa iuſta & bona operatur. Vt inter cætera cùm iuſtos probat, ſicut Iob accidit. Malos autem hic puniri permittit, ne in vita futura condemnetur. Cuius exemplum apud Paulum, qui fornicarium ſathanæ tradidit in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus fieret in die Domini. Alios rurſum terret quò ſint cautiores & vigilantes ne in malum ruant, et alia eius generis.

*1.Cor.5. Ex caſu hominis meritò damnati bona quæ.*

Ex hominis verò caſu meritò dānati inter alia, id boni effecit, quòd tantū populū per gratiam ſuam colligit, vt inde

ſup

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſuppleat, & inſtauret partem angelorum quæ lapſa eſt, qua ratione bonitatem ſuam & potentiam notiorem reddidit. Porrò malorum, quorum Deus non eſt malus author, iuſtus eſt vltor.

*Malorum Deus iuſtus vltor.*

Nam ſi propterea non debet tribuere ſupplicium peccantibus, quia præuidet peccatores, nec rectè facientibus debet præmia retribuere, quia & rectè facturos præuidet.

*Aug. lib. 3. de lib. arb.*

Deinde dum aſſeritur libertas noſtra in conſequenda vita æterna, loquuntur quidam: Nō prodeſt conatus & voluntas, ſi non ſum prædeſtinatus, & ceſſanti offeretur beatitudo ſi ſum prædeſtinatus.

*Quæſtio de prædeſtinatione.*

Altũ myſteriũ prædeſtinationis eſt, pauca tamen ea de re dicam ex ſententia doctiſsimorũ.

*Aug. lib. 6. hypo. cõtra Pela.*

Prædeſtinationem negare, immanem blaſphemiã eſſe, ait Auguſtinus, quæ non tantùm, ſicut ſoliti erãt dicere Pelagiani, referẽte eodem, in apoſtolis accipienda eſt, ſed in patriarchis & prophetis et martyribus, & omnibus ſanctis dignè Deo ſeruientibus.

*Prædeſtinatio quid eſt*

Cuius rei Paulus vas electionis teſtis eſt locupletiſsimus.

*Epheſ. 1.*

*Elegit nos* (inquit) *in ipſo ante mundi conſtitutionẽ, vt eſſemus ſancti, & irreprehenſibiles in cõſpectu eius in charitate, qui prædeſtinauit nos adoptionem filiorũ per Ieſum Chriſtum in ſe ſecundum beneplacitũ voluntatis ſuæ.* Et alibi: *Quos præſciuit &*

*Roman. 8.*

*præde-*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*prædeſtinauit, conformes fieri imagini filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos iuſtificauit, quos autem iuſtificauit, illos & glorificauit.* Prædeſtinauit expoſitore Auguſtino antequam eſſent: vocauit, cùm auerſi eſſent: iuſtificauit, cùm peccatores eſſent, glorificauit, cùm mortales eſſent. Nec diſſonum eſt his illud ad Timotheum: *Liberauit & vocauit nos, vocatione ſancta, non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum propoſitū ſuum, & gratiam quæ data eſt in Chriſto Ieſu ante tempora ſecularia*, vnde Auguſtinus: Abſit (inquit) vt Deus temporaliter aliquádo diligat, quaſi noua dilectione, quæ in illo non erat, apud quē nec præterita tranſierunt, & futura iam facta ſunt. Itaque omnes ſanctos ſuos ante mundi conſtitutionē dilexit, ſicut prædeſtinauit. Hæc ille. Quod vero in literis ſacris dicitur Deū aliquid feciſſe aut facturum eſſe, id relatu ad nos accipiendum eſt. Conſtat igitur Dei prædeſtinationem eſſe in ſanctis. Cæterum quid ſit dicendū eſt. Prædeſtinatio (ait Auguſtinus) à præuidendo & præueniendo, vel præordinando futurum aliquid dicitur. Et ideo DEVS, cui præſcientia non eſt accidens, ſed eſſentia fuit ſemper, &

*De verbis Apoſt. ſermo. 16.*

*2. Timot. 1.*

*Aug. lib. 5. de ciui. Dei*

*Quid prædeſtinatio.*

*Aug. lib. 6. gypog.*

eſt, quicquid antequam ſit, ſic præſcit, prædeſtinat. Et propterea prędeſtinat, quia quale futurum ſit, præſcit. Ideo & Apoſtolus: *Nam quos præſciuit* (inquit) *& prædeſtinauit.* Sed non omne quod præſcit, prædeſtinat. Mala enim tantùm præſcit, & non prædeſtinat, bona verò & præſcit & prædeſtinat. Quod ergo bonum eſt, præſcientia prædeſtinat, id eſt, priuſquam ſit in re, præordinat. Hoc cum ipſo authore eſſe cœperit, vocat, ordinat, & diſponit. Vnde & ſequitur: Nam quos prędeſtinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, illos & iuſtificauit, quos autem iuſtificauit, illos & glorificauit. Hæc Auguſtinus. Qui alibi ait inter prædeſtinationem & gratiam hoc intereſſe, quòd prædeſtinatio, eſt gratiæ præparatio, gratia verò iam ipſa donatio. Ab alijs quibuſdam recentioribus prædeſtinatio deſcribitur eſſe, æterna præordinatio ad beatitudinem, & quod conformius eſt Paulo, propoſitum certum & firmum, quòd Deus ab æterno voluit aliquibus impartiri beatitudinē. *Collabora* (inquit Paulus ad Timotth. ſcribens) *in Euangelio ſecundū virtutē Dei, qui nos liberauit & vocauit vocatione ſancta, nō ſecundū opera noſtra, ſed ſecundū propoſitum ſuum, & gratiā quæ data eſt nobis in*

*Quæ Deus prædeſtinet & quæ nō.*

*Aug. lib. de prædeſtina. ſanctorum.*

*Andreas Vega in cōci. Triden.*

*2. Timot. 1.*

*Quomodo prædeſtinatione Deus vtitur erga genus humanum.*

*Chriſto Ieſu, ante tēpora ſecularia.* Quo-
modo autem erga genus humanū pr[æ]-
ſciētia & predeſtinatione vtitur Deus,
in quo non eſt iniquitas, docet Auguſt.
Maſſæ (inquit) humani generis, quæ
in Adam & Eua præuaricatione dam-
*Lib. 6. hyp.* nabilis mortaliſque facta eſt, non con-
65.12. ditione diuina generaliter ſed ex debi-
to pœna, cruciatuſque gehennæ debe-
tur, venia verò non merito, ſed Dei in-
ſti iudicis miſericordiæ largitate con-
fertur. Quia verò iuſtus & miſericors
268.12. Dominus Deus, præſciusq; futuroꝝ,
ex hac damnabili maſſa, non perſona-
rum acceptione, ſed iudicio æquitatis
ſuæ irreprehenſibili, quos præſcit, miſe-
ricordia gratuita præparat, id eſt, præde-
ſtinat ad æternam vitā. Cæteros pœna
debita punit, quos ideo punit, quia
quid eſſent futuri, præſciuit. Non ta-
men ipſe fecit puniendos vel prædeſti-
nauit, ſed tantùm in damnabili maſſa
præſciuit. Quod ſi quæris, ait idem, cur
*Solutio obiectionis.* Deus ita differentes facit, ſi perſona-
rum acceptor non eſt, quia generaliter
aut punire debet iuſtitia aut miſericor-
dia liberare? Contende cum Paulo, im-
mo ſi audes, argue Paulū, q̄ dixit, Chri-
ſto in ſe loquēte: *O homo tu quis es qui re-*
268.9. *ſpōdeas Deo. Nūquid dicit figmentū ei qui*
*ſe finxit, vt quid me ſic feciſti? an nō habet*
po-

*poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere, aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Ita Auguſtinus: Prædeſtinat igitur Deus, quia videt bonum: reprobat, quia videt malũ. Cùm igitur docetur prædeſtinationem neceſſariam eſſe ad credendum, diligendum, perſeuerãdum, & ſimilia, ne ſcandalum obijciatur infirmis, & impediri contingat aut langueſcere ſtudia virtutis, hoc diſtinctè & clarè quidam recentiorum tradunt. Perinde eſſe in noſtra poteſtate omnia exercitia virtutum ad quæ credimus neceſſariam eſſe ſpecialem Dei gratiam, ac ſi ſolus generalis Dei concurſus ſufficeret, imò ac ſi non eſſet, niſi noſtra ſola voluntas ad ea omnia requiſita. Quin perinde noſtræ ſubeſſe poteſtati, & ea omnia, & ipſam cõſecutionem beatitudinis, etiam ſi Deus neque prædeſtinauerit nos, neque præſciuerit nos tantam fœlicitatem habituros. Tam potentem enim fecit propter ſuam ſummam ſapientiam, & miſericordiam, noſtram voluntatem, & tam admirabiliter ſuum omnem concurſum, & omnem ſuam ſcientiam, & prędeſtinãtionem & voluntatem illius arbitrio ſubiecit, vt poſsit ipſa de ſe quicquid voluerit ſtatuere, & per ſe cenſeri poſſe, quæ per

*Obſerua quid dicatur.*

*And. Veg. li. 12. in cõcil. Trid.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

vnum ipſum ſpecialiter adiuuanté po-
teſt. Et ille ita ſcit, & voluit omnia fu-
tura contingentia, quæ noſtro arbitrio
ſubiecit, vt illius ſcientia & voluntas,
nihil noſtræ præiudicent libertati. Ne-
que nos aliter noſtræ ſaluti debemus
per obſeruantiam mandatorum inten-
dere, & ipſius opem aſsiduis & impor-
tunis gemitibus flagitare, quam ſi nihil
ipſe prorſus de nobis neque ſciuiſſet,
neque ſtatuiſſet, ſed noſtram prorſus
ad omnia expectaret voluntatem. Po-
teſt nanque, quod vt maximè mirabile,
ita & veriſsimum, & certiſsimum eſt.
Poteſt, inquam, abſque vlla prorſus ſui
mutatione & ſcire & velle, imò & ſci-
uiſſe, & voluiſſe ab æterno oppoſita o-
mnium eorum, quæ de nobis præſciuit
& præuoluit. Et hæc ſæpe deſidera-
runt recentiores, vt Auguſtinus palam
& apertè reſpondiſſet obijcientibus ip-
ſi, quod à prædicatione prædeſtinatio-
nis et gratiæ ceſſandum eſſet coram po-
pulo, quòd ea officeret audientibus,
& ſegniores eos redderet ad ſtudia vir-
tutum magis quàm alacriores. Electus
*Lodo. Vi. de fide Chriſtiana. 245, 20.* igitur, prædeſtinatus noſtrorum ſunt
operum. Deus omnibus ſe offert, hæc
eſt vocatio: ſi quis vtitur, eſt electio: ſi
vſque in finem, prædeſtinatio. Si quis
reijcit, induratio. Ex euentu iſta iudi-

cantur

cantur, quemadmodum etiam dici-
mus iram Dei, furorem Dei, ex effe-
ctis. Neque enim eſt in Deo ira per-
turbatio animi, ſicut quæ ira hominis
nuncupatur, ſed iuſta vindicta, vt Au-
guſtinus ait. Tu ergo te facis prædeſti-
natum, electum, induratum. At gratia *Aug. epiſt.*
Dei eſt (inquies) quæ agit? ita eſt, ſed *157. & li.*
ea parata eſt omnibus. *Ego*, inquit Do- *13. de Trin.*
minus, *ſto ad oſtium & pulſo, ſi quis mi-* *Apoca. 5.*
*hi aperuerit, intrabo ad illum.* Ex prædi- *Solutio ob-*
ctis colligere licet, non habere impios *iectionis.*
quod cauillentur, ſcriptum eſſe: *Indura* *Exod. 4.*
*bo cor Pharaonis*. Item: *Tradidit illos Deus* *Roma. 1.*
*in reprobum ſenſum.* Et ſi quæ ſunt ſpi-
rituales figuræ. Permiſsio enim eo di-
cendi modo ſignificatur, non operatio
indurationis, quæ nunquã eſſet. Quẽ- 350. 25.
admodum oramus, ne inducas nos in
tentationem, id eſt, ne ſinas induci. Sic
indurаſſe cor Pharaonis dicitur, quòd
permiſerit Pharaonem abuti ſua volun
tate, idq́ue ſecundum iuſtiſsimum iudi
cium ſuum, qui cor peccatoris repro-
bum (quod, nec patientia, nec longani-
mitate Dei, ad pœnitentiam emollitur,
nec compunctione ſcinditur, nec timo-
re frãgitur, nec emollitur amore) in ob-
duratione ſua perſeuerare permittit.
Atque hæc permiſsio ſeu Dei patientia
magis accuſat, quàm excuſat impium.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Videre enim licet, quot miraculis De-
us Pharaonem ad pœnitentiam inuita
52.3. uit. Sic Iudam, vt ab impio conatua-
*Solutio obiectionis.* uerteret, nihil prætermiſit. At arguta-
tor quiſpiam temerarius dicet: Cur er-
Roma.9. go creat quem malum, indurandum et
347.7. periturum ſcit? huic Paulus reſpondet,
*O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo? nun-*
*quid dicit figmentum ei qui ſe finxit: Quid*
*me feciſti ſic? an non habet poteſtatem figu-*
*lus luti ex eadem maſſa facere aliud vas in*
82.20. *honorem, aliud vero in contumeliam?* In-
25.25. comprehenſibilis enim Dei ſapientia
ac benignitas inde perſpicitur, quando
impijs, qui, cùm eſſent vaſa munda crea-
ti, ſeque poſtea conſpurcarunt, ad bo-
num & gloriam nominis ſui (vt ita di-
Exod.9. cam) abutatur. Quod non ſiluit ſcriptu-
ra. *In hoc*, inquiens, *excitaui te, vt oſten-*
*dam in te virtutem meam, & annuncie-*
Roma.9. *tur nomẽ in vniuerſa terra.* Inde, vt Pau-
lus ait: *Oſtendit diuitias gloriæ ſuæ in va-*
*ſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriã.*
Cæterum vt planius noſcantur ea quæ
*Prædeſtinati poſſunt eſſe nõnunquam extra gratiã.* de prædeſtinatione dicuntur. Primò
ſciendum eſt prædeſtinatos non nun-
quam poſſe eſſe extra gratiam Dei,
quod negabat Iouinianus. Hoc autem
non ſic accipiendum, quaſi ſit aliquod
tempus, quo eos non diligat Deus, neque
ſuam gratiam velit illis impartiri. Si
quidem

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quidem inimicitia, non videtur poſſe
habere locum cum eximia illa æterna
& firmiſsima & immutabili dilectio-
ne, qua Deus in electos omnes affici- *Aug. li. 13. de Trinita.*
tur. Verùm quia habent, vel faciunt ali
qua quæ vſque adeo maieſtati diuinæ *3. ſentent.*
diſplicent, vt quamdiu ea in illis perſe- *diſtin. 19.*
uerant, neque gratiam ſuá velit eo tem
pore impartiri, neque dignos ſua ami-
citia habeat: imò verò tanto odio eos
proſequitur, vt ſiquidem in eis illa du-
rauerint, & cum eis vitam hanc exege-
rint, perpetuis eos pœnis addicere ve-
lit. Quod quidem odium illi Dei dile-
ctioni non repugnat, cùm ad diuerſa
referuntur, odium ad præſens, dilectio
ad futurum, aliudq́; quod competit a-
licubi ab æterna Dei prædeſtinatione
vel præſentia, aliud quod à præſenti iu
ſtitia vel iniuſtitia. Vnde illa Theolo- *Dilectionis*
gorum ſcholaſticorum de dilectione *diſtinctio.*
diſtinctio, ſecundum præſentem iuſti-
tiam, & ſecundum æternam prædeſti- *Lib. 3. con-*
nationem. Qua & Hieronymus vtitur *tra Pela.*
contra Pelagianos ſcribens. Cuius qui-
dem verba hæc ſunt: Quærit hoc Mar-
tion, & omnes hæreticorum canes, qui
vetus laniarunt teſtamentum. Aut ſci- 260.11.
uit Deus hominem in paradiſo poſi- 270.3.1.
tũ, præuaricaturum eſſe mandatum il-
lius, aut neſciuit. Si ſciuit, non eſt in cul

pa is qui præſcientiam vitare non po-
51.30. tuit, ſed ille qui talem condidit, vt Dei
ſcientiam non poſſet deuitare. Sin ne-
ſciuit, cui præſcientiam tollis, aufers &
diuinitatem. Huic argumento ſic re-
ſpondet Hieronymus. Hoc enim gene-
re in culpa erit, qui elegit Saul futurum
poſtea regem maximè impium. Et Sal-
uator aut ignorantiæ, aut iniuſtitiæ te-
nebitur reus: cùm in Euangelio ſit lo-
Ioan.6. quutus: *Nonne vos ego duodecim elegi A-
poſtolos, & vnus de vobis diabolus eſt?* In-
terroga eum cur Iudam elegerit prodi-
torem? cur ei loculos permiſerit, quem
furem eſſe non ignorabat? Vis audire ra-
tionẽ. Deus præſentia iudicat non futu-
ra, nec condẽnat ex præſcientia quem
nouerit talem fore, qui ſibi poſteà diſ-
pliceat: ſed tantæ bonitatis eſt, & in-
effabilis clemẽtiæ, vt eligat eum, quem
interim bonum cernit, & ſcit malum
futurum, dans ei poteſtatem cõuerſio-
nis & pœnitentiæ iuxta illum ſenſum
Roma.1. Apoſtoli: *Ignoras quia benignitas Dei ad
pœnitentiam te adducit? ſecundum autem
duritiam tuam & impœnitens cor, theſau-
rizas tibi iram in die iræ, & reuelationis
iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuiq; iuxta
269.30. opera eius.* Neq; enim ideo peccauit A-
dam, quia Deꝰ hoc futurũ nouerat, ſed
pręſciuit Deus, quaſi Deꝰ, quod ille erat
pro-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

propria volũtate facturus. Hæc Hiero
ny. Ex quibus manifeſtũ eſt, Saulem et
Iudam fuiſſe reprobatos, & tamen ali-
quando bonos. Præterea Deum iuxta
præſentem iuſtitiã iudicare vnũquem-
que, non autem ſecundũ æternam præ
deſtinationem. Huic Hieronymi ſen-
tentiæ ſubſcribit Cyrillus, qui Iudam
filium perditionis ait, propterea appel-
latũ, quòd cùm in ſuæ vocationis prin
cipio aptus eſſet, ſua ſponte perditio-
nem elegit, & prauitate perijt ſua. Et
exẽplo Saulis & Adæ & angelorũ con
firmat viciſsitudines. Quod ſi prædeſti
nati ſunt ſemper & fuerunt in gratia
Dei, certè nullũ cõmiſerunt, neq; com- 1
mittent crimen mortale. Qua ratione
neque adulterium & homicidium Da-
uidis, neq; Magdalenæ libidinũ intem
perantia, neq; furta latronis, neq; Petri
negatio, neq; blaſphemię et perſecutio-
nes Pauli, neq; alia id genus horrenda,
lethale peccatũ fuerunt in illis, qui tan
dem ad fidẽ conuerſi ſunt, & per illam
bonaque opera ſalui facti ſunt. Siqui-
dẽ in confeſſo eſt lethale peccatum non
eſſe, niſi ꝙ gratiã Dei aufert, & nos in
ipſi⁹ odio qui vita aĩæ noſtræ eſt, cõſti-
tuit. Adhęc ſi prędeſtinatus nunquã eſt 2
extra gratiã Dei, neq; igitur Adã quẽ ex
literis ſacris conſtat ſaluũ eſſe, fuerit ali *Sapien.* 10.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quando Deo inimicus, aut extra gra-
Roma. 5. tiam ipſius. Et falsò dixiſſet Paulus. *Si
enim quum inimici eſſemus, reconciliati ſu-
mus Deo per mortem filij eius, multò ma-
gis reconciliati, ſalui erimus in vita ipſius.*
Nullus etiam hominum natus eſſet,
aut naſceretur in peccato originali. Ni-
ſi Adam nunquam ob ſua peccata fuit
Deo inimicus, neque ſuam ergo poſte-
ritatem fecerit Deo inimicam & exo-
ſam, neque nos eguiſſemus redempto-
re, qui nos reconciliaret Deo: ſiquidem
qui ipſe inuiſus regi non eſt, nunquam
faciet progeniem ſuam regi inuiſam.
At hoc ſentire, non aliud eſt quàm
myſterium redemptionis noſtræ irri-
tum facere. Iam ſi prædeſtinati nun-
3 quam eſſent extra gratiam, & reprobi
nunquam fuiſſent in gratia, & omnes
homines ſunt reprobi vel prædeſtina-
ti, hac ratione Chriſti mors nullos iu-
ſtificaſſet, nullis vitam attuliſſet. Quod
quàm alieniſsimum à vero eſt, inter
ſexcenta ſacræ ſcripturæ teſtimonia,
1. Cor. 1. illud teſtatur Pauli: *Chriſtus factus eſt
nobis à Deo ſapientia & iuſtificatio, &
redemptio.* Deinde dum de prædeſti-
*Reprobi* natione diſſeritur, ſciendum eſt repro-
*quidã poſ-* bos quoſdam poſſe eſſe nonnunquam
*ſunt eſſe* in gratia. Iuſtos item gratiam Dei a-
mittere, & iniuſtos eam recuperare
poſſe.

poſſe. Quod primum attinet, exemplo ſunt Saul, Salomon, Iudas, quos in gratia fuiſſe aliquando, & poſtea reprobatos, ex ſacra ſcriptura colligunt Auguſtinus, Hieronymus, Cyprianus, & cæt. Quamuis de Salomonis pœnitentia, nomine Ambroſij euulgatus liber eſſe fertur. Inter alios autem ipſe parens & caput omnium reproborum, iſtuc ipſum abūdè docet. Lucifer quippe fulgentiſsimus in principio ſuę creationis, ſicut ſub typo regis Babylonis ei atteſtatur Eſaias, & tamen cecidit, eodem Propheta teſtante, & detracta eſt ad infernum ſuperbia eius, & ad prufundum lacus. De qua re & Saluator: *Videbam*, inquit, *ſathanam quaſi fulgur cadentem de cœlo.* Iuſtos autem gratiam Dei amittere poſſe, & iniuſtos eam recuperare, quod negabat Iouinianus, cùm ex alijs, tum ex Ezechiele liquere poteſt. *Cùm auerterit ſe iuſtus* (inquit) *à iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, morietur in eis, in iniuſtitia quam operatus eſt, morietur. Et cū auerterit ſe ab impietate ſua quam operatus eſt, et fecerit iudiciū et iuſtitiā, ipſe animā ſuā viuificabit, cōſiderās enim et auertēs ſe ab omnibꝰ iniquitatibus ſuis, quas operatus eſt, vita viuet et nō morietur.* Neq; eſt quod quiſpiā Ioannē Apoſtolū prædictis cōtrarium

*nonnunquā in gratia. Iuſti item gratiā Dei amittere poſſunt, & iniuſti eam recuperare.*

*Eſaiæ.14.*

*Luc.10.*

*Aug. lib. 11. de ciuit.*

*Hierony. in Eſaiam. 38. 5.*

*Ezech. 18.*

*Solutio obiectionis.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

2.Ioan.3. rium exiſtimet, inde adeo quòd dixe-
rit: *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum
non facit, quoniā ſemē ipſius in eo manet,
& non poteſt peccare: quoniā ex Deo natus
eſt. In hoc manifeſti ſunt filij Dei & filij
diaboli. Omnis qui non eſt iuſtus non eſt ex
Deo.* Hæc ille, & plura in eā ſentētiam.
Ex quibus verbis Pelagiani colligebāt,
iuſtos omne peccatum deuitare poſſe.
Nam hæc ita intelligenda ſunt, vt Au
guſtinus et alij permulti interpretātur,
nō poſſe ſcilicet ſtare ſimul natiuitatē
diuinā & peccatū mortale. In quē ſen-
ſum interpretatur Hieronymus verba
illa Chriſti. *Non poteſt arbor mala bonos
fructus facere*, nam ſenſus eſt, ait: Quam
diu eſt arbor mala, ab ea nō poteſt pro-
17.28. dire fructus bonus. Nam ſi hæc verba
intelligenda eſſent quemadmodū Pe-
Hieron. in lagiani ſenſerūt, parua epiſtola, vt Hie-
7. Matth. ronymus ait, in primo contra Pelagia-
nos, eſſet ſibi contraria. Quandoqui-
dem Ioannes in eadem Epiſtola ſcri-
ptū reliquit: *Si dixerimus quia peccatum
non habeamus, ipſi nos ſeducimus, & ve-*
288.13. *ritas in nobis non eſt*. Et mox: *Si confitea-
mur peccata noſtra, fidelis & iuſtus eſt, vt
remittat nobis peccata noſtra, & emundet
nos ab omni iniquitate*. Quòd ſi oppoſue-
ris, inquit Hieronymus, quare dixerit,
& non poteſt peccare, quia ex Deo na-
tus

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tus eſt. Audies inquit, & vbi erit præ-
mium voluntatis? ſi enim ideo nõ pec-
cat, quia peccare non poteſt, liberũ tol-
letur arbitriũ, & nequaquam noſtrum
fiet, ſed naturæ bonũ quæ peccata non
capiet. Non igitur ex verbis prædictis
Ioãnis aliud quid haberi poteſt, quàm
iuſtos neque peccatum admittere mor
tale, neque poſſe admittere quãdiu in iu
ſtitia Dei & adoptione perſeuerant, &
ſemen Dei, id eſt, gratia in illis perma-
net. Si enim Ioannes illis verbis ſenſiſ-
ſet iuſtos, ſiue ex Deo natos iuſtitiam
ſuam ſeu natiuitatem diuinam amitte-
re non poſſe, certè nõ dixiſſet: *Vos quod* *1. Ioan. 2.*
*audiſtis ab initio, in vobis permaneat. Quia*
*ſi in vobis permãſerit quod audiſtis ab ini-*
*tio, & vos in filio & patre permanebitis.*
Et ſtatim: *Et vos vnctionem quam acce-*
*piſtis ab eo, maneat in vobis, & ſicut do-*
*cuit vos manete in eo.* Quorſum enim ad
permanendũ in doctrina & gratia ac-
cepta hortatus fuiſſet, ſi perdere illã nõ
poſsimus? Sunt qui aliter verba Ioan-
nis interpretantur, quorum interpreta-
tiones miſſas facio.

## *DE SACRA-mentis.*

Sed de Sacramentis quemadmo- *Sacramentum.*
dum propoſitum erat dicamus.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN